

cant eam. Nos enim laborare quidem, plantare, rigare possumus, sed nisi Deus incrementum dederit, omnia frustranea erunt. Quo ergo liberalius nos hunc Deo cultum exhibuerimus, tanto is quoque largius nobis necessaria alimenta ministrabit, uti manifeste Ecclesia indicat, dum in hymno Festi Corporis Christi canit: *Sic nostu visita, sicut te colimus*. Et ipse quoque Christus Luc. iv. confirmavit dicens: *Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis*. Atque haec videlicet causa est, cur nulli tam exiguum in rebus temporalibus benedictionem experiantur, quia scilicet parce Deo suum cultum exhibent. Hinc audire coguntur, quod olim Deus Israelitis per Prophetam Aggeum c. i. dixit: «Seminastis multum, et intulistis parum: comedistis, et non estis satiati: bibistis, et non estis inebriati: operuistis vos, et non estis calefacti: et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. Quam ob causam, dicit Dominus exercituum: quia domus mea deserta est, et vos festinatis unusquisque in domum suam.» Examine vos ipsos, et querite, cur tam raro Missam diebus feriatis audiat? Cur precibus tam parum vacetis? Annon hanc unicam prope causam reddetis: non habemus tempus: laboribus, non precibus nunc vacare oportet? Annon autem hoc est domum Dei deserere? Annon hoc est festinare in domum suam, id est, viribus et conatibus suis plus, quam Dei auxilio confidere? Ah erratis, dilectissimi Auditores, ah graviter erratis. Nescitis, quinam sint optimi redditus domus vestrae. Haec verba: *Querite primum regnum Dei*. Haec, inquam, verba sunt optima littere censuales, quae nihil vobis deesse patiuntur. Has si habueritis, confidenter cum S. Davide Ps. xxii. dicere poteritis: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuae ibi me collocavit*. Si enim vos, cum sitis mali, nihil deesse patimini famulis, imo et iumentis vestris fideliter serventibus, an putatis, liberalissimum et potentissimum Deum passurum, ut iis, qui fidele ipsi servitium praestant, contra promissionem tam certam, totiesque repetitam, necessaria alimenta non subministrarent? Absit, ut tam abjectam et indignam de summa illius bonitate opinionem concipiamus. Aliter nos instruxerunt majores nostri, quibus certissima ac infallibilis erat regula et axioma: «Wenn wir thaten was wir sollten, hatten wir allzeit was wir wollten.»

Et iterum: «Kirchen gehen ver saumet nicht: Allmosen geben erasmet nicht: ungerecht gut bereichet nicht.» Atque ut veritatem horum axiomatum ipsi quoque agnoscat, audite memorabile exemplum, quod Surius in vita S. Joannis Eleemosynarii narrat. Duo quidam opifices eandem artem factitabant, quorum alter uxorem, liberos, servos pulchre aliebat, imo rem familiarem quotidie augebat, Deo pietatem ejus, qui omnibus posthabitis Missam quotidie audiebat, evidenter remunerante; alter contra rarissimus Missae Auditor, quamvis prole, omnique familia careret, quamvis diebus, etiam Festis, noctibusque laboraret, se tamen et uxorem aegre tolerans, cum extrema egestate perpetuo collectabatur. Ergo tam prosperum illius alterius successum admirans, eidem quadam die obvius factus, quaerit, quo medio tandem uteretur, ad tam felicem laboribus suis successum obtinendum? Cui alter respondet: «Cras tibi ostendam locum, ex quo tam copiosa mihi benedictio, ac lucrum obtingit.» Postero itaque die, summo mane, eum ad Templum secum deducit, ibique auditio sacro, domum redire ad labores jubet. Mane altero idem facit. Cumque tertio etiam die id ipsum facere pararet, impatiens alter: «Equidem si de Templo adeundo agitur, viam scio, nec duce opus est; locum vero, ex quo lucra tua haurias, quem te ostensurum promiseras, hunc enim vero demonstra.» Hic iste: «Sane, inquit, est, locum, ubi et victum corporis, et vite aeternae conquirere oporteat, praeter Templum, scio, nullum. Nisi forte ignotum tibi sit Domini promissum: *Querite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis*.» Intellecto itaque tandem mysterio, miser ille suam, qua tandiu laborarat, rei divinae incuriam detestatus, ad frugem serio rediit, audiensque exinde Missam quotidie, felicem deinceps laborum suorum successum similiter est expertus. Et vos ergo, quicumque hactenus simili errori obnoxii vixistis, cum hoc opifice respicite; discite, quae sunt Dei, Deo liberaliter reddere, ut ille quoque, quod promisit, liberaliter largiatur, sic intrepide cum Tobia seniore ad liberos et domesticos vestros dicere poteritis: «Fili mei, *pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timerimus Deum, et fecerimus bene*.

Pars secunda.

Alterum praeceptum est: *Reddite, quae sunt Caesaris, Caesari*, id est, unicuique homini id, quod ex justitia debetis. Ita enim et ipse Christus in sententiae prioris puncto ex S. Mattheo citata indicavit, dum dixit: *Querite primum regnum Dei, et justitiam ejus; ubi merito justitiam cum regno Dei, id est, cum cultu, quem Deo debemus, conjungit, quia Deum vere diligere, colereque non potest, qui non perinde etiam proximum, veluti Dei imaginem diligit, colitque, uti sat clare S. Joannes Apostolus, i. JOAN. iv. indicavit, dum dixit: «Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum odit, mendax est; qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo diligere potest? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut, qui diligit Deum, diligit et fratrem suum.» Porro diligere proximum non censetur, qui justitiam non observat, et non cuique jus suum tribuit; cum enim Deus pro regula dilectionis fraternae amorem, quo quisque homo seipsum diligit, obtulerit dicens: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. MATTH. II. cap. Amor autem hic, quo nos ipsos diligimus, vel maxime nos impellat, ut cupiamus aliis non tantum jura et bona nostra, quae jam actu possidemus, intacta et inviolata servari, sed etiam, ut ea, quae adhuc ab aliis ex justitia debentur, fideliter et prompte tribuantur, facile apparet, diligere proximum censeri non posse, qui justitiam non observat. Et hoc videlicet est praeceptum illud, a quo non modica quoque benedictio, quam in bonis temporalibus obtinere cupimus, dependet, uti jam olim Deus in diversis S. Scripturae locis indicavit. Hinc ECCL. II. Siracides ait: «Benedictio Dei in mercedem justi festinat, et in honore veloci processus illius fructificat.» Et clarus SAP. VIII. CAP. «Si justitiam quis diligit, labores hujus magnam habent virtutem.» Quia, ut idem Prov. III. c. ait: «Egestas a Domino in domo impii, habitacula autem justorum benedictur.» Cujus quidem benedictionis gemina causa assignari potest, una ex parte Dei, altera ex parte proximi. Prior est, quod homo justitiam amans hoc ipso, quod aliena bona non invadat, sed suis contentus sit, sat clarum praebeat indicium, quod omnem*

suam fiduciam in Deo, qui servis suis deesse nihil patitur, collocarit; sicut e contrario, qui justitiam violat, et per fas, nefasque aliena bona invadit, manifestum praebet argumentum, quod non in Deo, sed in suis viribus et industriis confidat; unde cum Deo nihil magis placeat, quam si homo omnem suam fiduciam in ipso ponat; nihil autem ex opposito magis ipsi displiceat, quam si haec et confidentia negetur, merito talibus justitiae amatoribus in bonitate sua confidentibus benedictionem suam liberaliter largitur, eandemque negat illis, qui per injustitiam sibi ipsis providere satagunt.

Posterior causa ex parte proximi non minus efficax ad benedictionem obtinendam est haec, quod Deus saepe promiserit, dixeritque, eadem mensura, qua aliis dilectionem mensurabimus, nobis quoque remensum iri; cum ergo per justitiam liberaliter aliis, tum bona jam possessa reliquamus, et gratulemur; tum nova, quae debemus, tribuamus, aequum est, ut vicissim Deus bona nostra custodiat, et nova largiatur, ut qui jam pridem dixerit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Atque haec videlicet gemina causa est, quod nulli tam exiguum benedictionem in rebus temporalibus experiantur, quia scilicet justitiae curam non habent, quia superioribus suis debitum canonem, tributa, aut vectigalia, aut decimas non fideliter persolvunt; quia in emptione et venditione alios defraudant; pro laboribus suis nimium salarium exigunt, aut mercedem ipsi aliis non statim et integre tribuunt. Haec, inquam, causa est, cur Deus et nova illis bona largiri negligat, et ea, quae habent, iterum per similes fraudes, aut alias injustitiae species auferri permittat. Id quod perapta fabella non nemo explicavit, dum dixit, lupum aliquando fuisse, qui advertens iusticum quemdam multas, easque sat pingues oves possidere, ad guastamen sibi aditus undique ocellus sit astu circumveniendum ratus, ovinam pellem, quam quondam ovi cupiam detraherat, induit, et circa noctem ante ovium ad rusticum pertinentium stabulum stetit, et quasi admitti pariter in stabulum peteret, ficto balatu indicavit. Rusticus audit clamore accelerans, etsi bene ex certi signi carentia adverteret, ovem hanc suam non esse, quia tamen satis grandem et pinguem esse viderat, non modicum ex illa sibi vindicata lucrum accessurum existimans, januam sta-

buli aperuit, ovemque alienam suis ovibus aggregavit. Quid fit? Mane stabulum ingrediens, videt aliquot oves fœde laceratas et interemptas, nec tamen causam aut auctorem cognoscere potest. Idem sequenti, idem tertio die deprehendit, quousque pleræque oves absumptæ fuerunt; tum demum suspicari intipiens, ne nocturni fures stabulum ingressi, ejusmodi stragem in ovibus fecissent, vigilare noctu cum famulis statuit, et ex insidiis, quid agatur, observare; cumque circa medium noctis advertisset, grandiozem illam furto sublatam ovem alias invadere, et lacerare, accurrit cum famulis, et dum dictam ovem alienam accuratius intuetur, et mactat, lupum sub ovina pelle latentem, et ex ea damnorum suorum præteritorum auctorem deprehendit. Per hanc fabellam aptissime sane ostenditur, quam vere dictum sit a Salomone Prov. xvi. *Melius est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate.* Vere enim obolus ille seu alia res, quam injuste possidemus, lupus talis est, ex cujus aggregatione aliquid quidem lucrum rebus nostris accessisse existimamus, sed revera plus damni patiemur, quia hic ipse obolus paulatim alios devorabit, donec vix ullus amplius in marsupio reperiat. Quisquis ergo veram benedictionem a Deo obtinere cupit, justitiam amet, cuique jus suum tribuat, et relinquat, et consilium Siracidæ c. iv. observet dicentis: *Pro justitia agitare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos, damna in fortunis tuis inferre molientes, et habitaculum tuum benedicet.*

Pars Tertia.

Tertium præceptum est: *Date, et dabitur:* ita enim jam olim iterum Christus monuit, et mox fructum copiosum, qui inde sperari potest, subiunxit, dum dixit: *Mensuram bonam, confertam, coagitatam, et superfluentem dabant in sinum vestrum.* Nimirum, ut sapienter S. Augustinus ser. xxv. de verbis Domini advertit: *Fœcundus est ager pauperum, cito reddit donantibus fructum, nec simplicem dumtaxat, sed trigesimum, sexagesimum, centesimum, ut agri semen sibi communicatum recompensare solent.* Cujus ulterior ratio est, quia, quod pauperi datur, Deo datur, Deus autem, cum sit zelator gloriæ et honoris sui, non patitur se liberali-

tate vinci ab homine, sed quidquid ab homine per pauperes accipit, id omne statim multiplici fœnore compensat, ut polchre S. Gregorius in reg. indicavit, dum dixit: *Quidquid tribuitur pauperi, si subtili consideratione pensetur, non est donum, sed mutuum, quia, quod datur, multiplicato sine dubio fructu recipitur.* Atque hæc videlicet iterum causa est, cur multi tam exiguam a Deo in fortunis suis benedictionem accipiant, quia scilicet et ipsi exiguam misericordiam proximo, et per hunc etiam exiguam liberalitatem erga Deum ostendunt. Fixa est enim apud Deum regula a S. Paulo II. Cor. ix. indicata: *Qui parce seminat, parce et metet: et qui seminavit in benedictionibus, de benedictionibus et metet.* In cujus veritatis confirmationem innumera possem exempla afferre, sed unicum sufficet, quod Cæsarius lib. IV. cap. lxxvii. sequentibus verbis refert: Abbas quidam, ut puto, de ordine nigro, sicut ex relatione ejusdem Abbatis Ordinis nostri didici, hospitalis erat valde et circa pauperes multum misericors; et quia in operibus misericordie fervens fuit, tales dispensatores domni ordinare studuit, qui non ejus fervorem imitarentur, sed magis incohererent. Quando plures hospites suscepit, quanto plus charitatis pauperibus exhibuit, tanto illi et domui ejus Dominus amplius benedixit. Post ejus mortem successor ejus stimulatus avaritia, pietatis Officialibus amotis, et eis, quos tenaciores noverat, instituit, ait: « Prædecessor meus nimis erat dapsilis, et indiscretus, ejus Officialia nimis prodigi, sic ordinare debemus expensas Monasterii atque temperare, ut si forte seges nostra grandinata fuerit, et tempora chara emergerint, habeamus, unde pauperibus subveniamus. Hujusmodi verbis avaritiam suam pallians hospitalitatem prorsus exclusit, et consueta beneficia pauperibus subtraxit: charitate subtracta proficere non potuit Monasterii substantia, imo in brevi ad tantam devenerunt paupertatem, ut vix haberent, quod Fratres manducarent. Die quadam vir quidam venerande canitiei venit ad portarium, quæsitivæque hospitium, quem ille quidem clanculo et cum timore collegit, atque hospitalitatis officia pro posse et tempore illi exhibens adjecit: « Non te scandalizare debet, bone vir, quod tam negligenter te procuro, quia necessitas in causa est. Aliquando vidi talem statum hujus Monasterii, ut, si venisset Episcopus, cum magna charitate et abundantia fuisset susceptus. » Et ille:

« Duo fratres expulsi sunt de isto Monasterio, nisi illi fuerint reversi, nunquam bonus erit Status ejus. Unus eorum vocatur *Date*, et *Dabitur* vobis vocatur alter, » sicutque ab oculis ejus recessit. Portarius autem, cum esset Clericus, nomina eorum retinuit, et Abbati ac fratribus audita recitavit. Resumpta est hospitalitas, et cepit mox Dominus et benedicere, ut prius. Ecce ergo, quam vere dictum sit a Salomone Prov. xi. *Alii dividunt, et ditiores fiunt; alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt.* Ut itaque et vos liberaliorem erga vos deinceps Deum experiamini, consilium Tobie Senioris c. iv. audite: *Quantum poteris, esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude; præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis.*

Pars quarta.

Quartum præceptum illis Christi verbis MATTH. XII. cap. propositis continetur: *Omne regnum divinum contra se desolabitur: et omnis civitas vel domus divisa contra se non stabit.* Quæ sententia indicare volo, ad prosperum rei familiaris successum obtinendum nihil magis necessarium, imo et expediens esse, quam concordiam domesticorum. Ita enim jam olim majores nostri communi proverbio suo indicarunt, quando dixerunt: *Concordia res parve crescunt, discordia maxime dilabuntur.* Hoc est: *Durch Einigkeit man Segen find, durch Zanck auch grosses Guth verkehwind.* Id quod ingenioso facti Scilurus Rex Scythiarum filiis suis octoginta, quos habebat, declaravit. Cum enim in extremo morbo constitutus brevi moriturum se crederet, omnes filios ad se vocari, et fasciculum ex octoginta sagittis colligatis confectum afferri jussit: quod ubi factum est, singulis filiis descriptum fasciculum obtulit, atque, ut eum frangerent, præcepit. Quod cum nullus potuisset, mox fasciculus, ut solveretur, mandavit, et cuius ex filiis unam sagittam frangendam dedit, quod cum illi facili conatu præstitissent, hanc memorabilem illis doctrinam reliquit: « Sic vobiscum se res habebit, o filii, quamdiu per vineum charitatis et concordie conjuncti manebitis, invicti eritis, quia nemo virtutem vestram, roburque frangere poterit; quamprimum vero per discordiam dissoluti, sua quisque

commoda sectabimini, imbecilles eritis, et obvio cuique hosti succumbetis. » Ita non vere minus, quam sapienter Scilurus; et vero ipsa quotidiana experientia satis confirmat. Quando enim major rerum omnium abundantia reperitur? Quam passis tempore; et contrario vero ubi major miseria et inopia? Quam ubi bella et lites vigent. Sicut autem se res habet in tota aliqua regione aut provincia, ita quoque se habet in quacunque domo privata; ubi enim maritus cum uxore, pater familias cum famulis et ancillis, fratres cum sororibus discordes sunt, nil nisi furta, negligentia, rixæ, et quotidiana damna timenda sunt. Cujus ulterior et fundamentalis ratio hæc est, quod Deus sit quasi cor et anima domus a qua omnis influxus et benedictio sperari et peti debet; quemadmodum ergo anima non animat, et nutrit illa membra, quæ inter se et eam corpore unita non sunt, ita nec Deus illis domesticis, qui per concordiam conjuncti non sunt, suam benedictionem et necessaria alimenta subministrat. Hinc per Siracidem c. xxv. aperte dixit: « In tribus benedictionem est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus. Concordia fratrum, amor proximorum (quod est famulorum et ancillarum) et vir et mulier (seu conjuges) bene sibi consentientes. » Omnes ergo sibi saluberrimum S. Pauli ad Philip. ii. adhortationem applicent: *Si qua consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas Spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum (imo et vestrum) ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitantes, non qua sua sunt, singuli considerantes, sed ea, quæ aliorum.* Fateor, difficile non raro accidere, tam graves et discolos aliorum mores portare, sed charitas omnia suffert, omnia sustinet, maxime si etiam voluntas et mandatum Christi in memoria habeatur, tunc enim merito iterum S. Paulus nos hortatur ad GALAT. VI. *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi, et ab eo velut capite copiosam influxum et benedictionem obtinebitis.*

Pars quinta.

Quantum et ultimum præceptum amicum

quidam vicino suo obtulit, dum eundem pessime rem familiarem administrare, atque adeo jam fere depauperari videns, ptydem ei obtulit, jussitque, ut quotidie in omnes domus suae partes circumferret, non tamen prius aperiret, quam facultatem ipse dedisset. Quod cum ipse quotidie sedulo fecisset, ubique multas a domesticis negligentias committi advertens, mox eos reprehendere, bonasque leges praescribere cepit. Quibus industriis cum iterum bona sua augeri adverteret, virtutem hanc pyxidi insertam existimans, licet necdum data facultate aperuit, et hanc in schedula quadam sententiam descriptam vidit: *Willst, dass dir dein Sach wohl geling: schau all Tag fleissig zu dein Ding*. Ex quibus verbis ille facile errorem suum agnovit, et post gratias amico actas ob tam salubre consilium, serio deinceps illud executus est, brevique antiquas divitias recuperavit. Atque hoc est praecipuum, quod quinto loco a vobis quoque observari cupio, ut scilicet ita in Dei auxilio speretis, ut tamen etiam eas industrias et conatus, qui ex vestra parte requiruntur, non negligatis. Nam antiquum est Germanorum proverbium: *Hilff dir, o Mensch, schilffst dir Gott auch*. Quod etiam sequenti fabella non male confirmant, dum aiunt, Rusticellum quemdam fuisse, qui, cum in luto, cum equis suis haesisset, et assiduo Herculis opem inelamasset, responsum ab Hercule de caelo acceperit: « Age, tu priore manu admove, et post opem ab Hercule expecta. » Idem et nobis dicitur: « Vis, o paterfamilias, ut Deus tibi in re tua familiari promovenda adsit, tu prius age tuum officium, visita frequenter officinas domus tuae, distribue diligenter et prudenter labores, corrige, quae corrigenda sunt, labora et ipse, ac cooperare, prout vires et status tui conditio requirit, et tum Dei assistentiam expecta. Vis et tu, o materfamilias, benedictionem domui tuae conciliare, imitare exemplum mulieris fortis et sapientis, de qua Solomon Prov. xxxiii. dixit: *Consideravit semitas domus suae, et panem otiosa non comedit. Quaevisit lanam et linam, et operata est consilio manuum suarum. Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum. Manum suam misit ad fortia, et dixit ejus apprehenderunt fusum. Non timuit domui suae a frigidibus nivis; omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Hinc surrexerunt filii ejus, et laudatissimam praedicaverunt: vir ejus, et lau-*

davit eam. Multae Filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Hoc, inquam, exemplum imitare, o materfamilias, et similem tu quoque a Deo benedictionem, similem a domesticis laudem tibi pollicere.

Epilogus.

Atque haec sunt quinque praecipua, quae ad artem bene administrandi rem familiarem maxime opportuna, utiliaque mihi sunt visa; quae proinde sicut speciali cum affectu vobis communicavi, ita speciali quoque diligentia a vobis observari desidero, certoque spondeo, quod, quanto diligentius observaveritis, tanto majorem in temporalibus aequae ac spiritualibus bonis benedictionem sitis obtenturi. Itaque claudo concionem, et illis Salomonis Prov. vii. verbis vos adhortor: *Fili mi, custodi sermones meos, et praecipua mea reconde tibi: serva mandata mea, et viveas, diciturque cum veritate: Hodie salus facta est huic domui. Amen.*

Alii conceptus de eadem materia.

I. Praeter conceptum priori paragrafo assignatum possent etiam Auditores ad convivium spirituale invitari, atque adeo dicere posset Concionator, antiquam esse consuetudinem, ut in die Dedicationis suis amicis allerunt ad convivium invitet; hunc proinde morem se quoque tanto libentius servaturum, quanto praestantius convivium a Zachaeo paratum pro conviviis suis reperiat, illud nempe de quo Christus Joan. iv. dixerit: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me*. Quod quidem quam pretiosum sit convivium, se copiosius in praesenti concione demonstraturum. Pro propositione itaque narrare potest, quod Norimbergae quondam vir quidam primarius convivium apparaverit, ex tribus mensis sibi superimpositis constructum, quarum prima solas fictas epulas (*Schauaffen*) continebat. Quibus cum oculi satiati fuissent, illa mensa remota alia in eodem loco per machinas attollebatur, quae meris solidis ferulis repleta erat. Tandem et huic ablata tertia pretiosis bellariis instructa substituebatur. Huic ergo convivio probetur voluntas divina similis, 1^o quia est similis *vobis factibus*; cum etiam illam contemplari quidem et ad-

mirari, non autem tangere, id est, judicare liceat; sed potius semper et assiduo dicendum sit; *Justus es, Domine, et recta judicium tua*. Quem in finem narrari potest exemplum primum aut secundum ex Spec. Exempl. V. Judicium Dei. 2^o Quia est similis *cibus solidis*, nam perinde ut isti, satiat appetitum animae: *nutrit* conservando vitam gratiae: *augmentat* faciendo vehementer crescere, uti apparet in Abrahamo, B. V. Christo: *roborat*, ut in Christo iterum ad montem Oliveti orante, in Abrahamo, Jobo patet. 3^o Quia continet etiam bellaria, id est, singularem animo quietem et letitiam conciliat; ut probari potest, tum per Salomonis testimonium Prov. xii. dicentis: *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit: tum per exemplum mendicis semper letantis apud Taulerum et Drexelium in Heliotrop. I. II. c. 1. Invitentur proin Auditores ad frequentandum hoc convivium, debitosque ex illo fructus percipientos.*

II. Posset quoque aliud convivium instrui, illud scilicet, de quo Salomon Prov. xv. dixit: *Secura mens quasi iuge convivium*. Ita ostendatur, quam laeti sint illi, qui habent bonam conscientiam. 1^o *Ante mortem*: juxta illud THOMAE KEPP. I. II. c. vi. *Si gaudium est in hoc mundo, hoc utique possidet puri cordis homo*, seu bona conscientia. 2^o *In morte*, juxta eundem I. I. c. xxv. dicentem: *Gaudebis semper vespere (mortis tuae) si diem (vitae tuae) insumas fructuose*. Nam sicut vita, mors ita: et qualis sonus vitae, talis echo mortis. 3^o *Post mortem*: quia tunc audiet illud MATTH. xxv. *Euge serve bone, et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Intra in gaudium Domini tui*.

III. Posset ostendi, quomodo perpetuam Dedicationem, id est letitiam habere quis possit perfectam voluntatis suae cum divina conformationem. Quem in finem servare potest totus dialogus, quem S. Catharina Senensis cum Christo instituit, in quo petivit a Christo, quomodo perpetuam pacem habere quis possit? Et admonita est, quod scilicet firmiter debeat credere, Deum esse *potentissimum*, sine cujus voluntate nihil accidere possit: esse etiam *sapientissimum*, qui sciat omnia, quae videntur mala, in bonum convertere, quod etiam sit benignissimus se optimus, qui proin etiam velit ex malo semper bonum elicere. Quae omnia fusius in dialogo citato videri, aut etiam iis, quae Rodrig.

p. I. tr. viii. et P. Drevelius in Heliotropio toto libro I et II. disserit, diduci possunt.

IV. Posset ostendi, cur et quomodo Christum cum Zachaeo in hospitio cordis sui quisque excipere debeat, videlicet, quia habet omnes condiciones ad gratum hospitem requisitas. Est enim 1^o vir magna auctoritatis et dignitatis. 2^o Est pariter munificus et liberalis. 3^o Est amantissimus suorum convivarum, nec eos dimissurus est, donec ipsi sponte recedant. Unde excipiendus est vicissim. 4^o *Hilariter*, sicut Zachaeus ipsum gaudens exceptit in domum suam. 2^o *Liberaliter* juxta ejusdem Zachaei exemplum dicentis: *Ece dimidium bonorum meorum do pauperibus*. 3^o *Stabilliter* ad exemplum Sponsae dicentis CANT. iii. *Tenui eum, nec dimittam*.

V. Possent varia praecipua inculcari, per quorum observationem quilibet homo salvari, itaque ei dici possit: Hodie salus facta est huic domui, qualia praecipua sequentia esse possunt. 1^o *Deum time*: juxta illud Davidis PSAL. xxxiii. *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Declina a malo, et fac bonum, inquire pacem, et persequere eam*. 2^o *B. Virginem et Sanctos cole*. Quia his cum veritate accommodari potest illud Prov. viii. *Qui me invenerit inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino*. 3^o *Dilige proximum tuum sicut teipsum*. Quia ubi sunt duo vel tres congregati in nomine Christi, ibi ipse est in medio eorum, salutem utique operans. 4^o *Defunctorum miserere*: *Beati enim, teste S. August. in ser. Dom. qui subveniunt miseris, quoniam eis rependitur, ut per misericordem Dominum a miseria liberentur*. 5^o *Patiens esto*: quia per multas tribulationes oportet introire in regnum Dei. Ad hunc modum alia quoque praecipua excogitari et explicari possunt.

VI. Possunt diversis statibus encephalia dona (*ein Kirchweygschenkung*) offerri v. g. 1^o Clericis Breviarium, ut discant recte orare. 2^o Magistratu libra, ad quam suum cuique jus tribuant. 3^o Maritis pileus, ut studeant libertatem suam retinere et uxoris, aliisque domesticis non nimis conveant. 4^o Uxoribus speculum ludicrum, in quo turpis videatur etiam amena aliquo facies, ut discant, pulchritudini corporali non nimis fidere, et majorem internae pulchritudinis curam habeant. 5^o Juvenibus panis pro veste, ut discant multo magis animae ornamenta, puta

virtutes, scientias, urbanos mores, quam corporis sectari, et querere.

CAPUT V.

De praxi conciones in patrocinio Templi instituendi.

Cum de hac materia vix ullus ex impressis Concionatoribus conciones aliquas proposuerit; aliunde tamen compertum sit, non levem aliquos difficultatem sentire in ejusmodi concionibus fructuose, et ad ipsum etiam tempus accommodate instituendis, ideo huic etiam difficultati lenienda breviter idea aliqua cum aliquot conceptibus ad conciones de eadem materia instituendas serventibus hoc capite proponetur.

Exemplar.

Concionis de ipso patrocinio instituendæ.

Thema.

Posui Custodes de habitatoribus Jerusalem, singulos per vices suas, et unumquemque contra domum suam. II. ISAIÆ VII.

Scopus.

Ostendendum quomodo dies patrocinii Templi fructuose peragendus.

Sylogismus principalis.

Memoria magni beneficii est magno affectu et fervore celebranda; atqui dies patrocinii est memoria magni beneficii, ergo magna devotione et fervore quoque celebranda erit.

EXORDIUM.

Sapienter quidem ab Ecclesia institutum est, ut singulis annis cujusque Templi patrocinium celebraretur, sed non immerito vereri quis videtur posse, paucos esse, qui intentum ab eadem Matre nostra Ecclesia fructum referant. Si enim singulos, qui ejusmodi patrocinio intersunt, accuratius exami-

nare liceret, deprehenderemus clarissime, paucissimos esse, qui scirent, quid sit patrocinium, quare institutum, aut quomodo fructuose celebrandum sit. Quare ut vel hodie saltem a meis Auditoribus patrocinium majori cum fervore ac fructu celebretur, hæc omnia tria capita paulo fuisus explicabo, confidens, vos in Patroni hujus Templi honorem non omnes modo a me tradendas doctrinas cum magna attentione et aviditate excepturos, sed etiam studio et alacritate executioni mandaturos.

Pars prior.

Atque ut a prima quæstione, nempe quid sit patrocinium? initium faciam, ante omnia notandum est discrimen inter Dedicacionem et patrocinium, quæ a plurimis sane, Germanis maxime, ob affinitatem nominis, pessime confunduntur, et pro eodem habentur. Sciendum itaque Dedicacionem nihil aliud esse, quam illum diem, quo memoria beneficii per templi consecrationem accepti solemniter peragitur in Ecclesia; patrocinium vero esse illum diem, quo festiva memoria illius Sancti, in cujus honorem Ecclesia quæpiam exstructa, ejusque tutelæ ac patrocinio commissa est, solemniter celebratur; a primo enim die, quo edificata est quæpiam Ecclesia, et consecrata sub titulo ac invocatione talis Sancti, mox Patronus talis, ac Sanctus curam, eamque quadruplicem gerere capit totius Parochiæ Ecclesiæ illi subjectæ. Et 1º quidem ipsius Templi, implebrando a Deo illis, qui templum tale frequentare solent, varias gratias, ut digne in eodem conversari, id est, devote orare, attente conciones audire, Sacramenta fructuose obire queant. 2º Curam suscepit personarum ad illius Ecclesiæ parochiam pertinentium, pro quibus ita vigilat, ut, quantum est de se, dicere posse optet illud Christi Joas. xvii. « Pater, cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, ego custodivi, et nemo ex eis perit, nisi filius perditionis, » id est, qui sponte perire voluit, et ad me non confugit. 3º Pecorum etiam curam suscepit, ut multi haec experti sunt, et quotidie experiuntur, si sincere ipsius auxilium imploraverunt illi, ad quos pertinet ejusmodi pecora. Unde devoti talis Patroni cultores quotidie sua pecora ipsi per certas preces

commendare solent, certo sibi persuadentes, non alium meliorem, quam hunc pecorum custodem se eligere posse, utpote quem Deus ipse illis assignarit. 4º Denique ipsorum etiam agrorum et domorum curam, et custodiam suscepit; hunc enim in finem Ecclesia in medio agrorum vel domuum plerumque velut specula, *ein Wachthaus* edificatur; in eundem etiam finem, si tempestas aliqua immineat, campanæ templi pulsantur, ut illarum pulsus sint quasi voces, quibus parochiani suum Patronum in auxilium vocent. Ad hæc officia obeunda sicut Patronus templi electus, et constitutus est, ita a parochianis quoque Ecclesia hoc beneficium grato animo voluit agnoscere, et singulis annis festivam illius memoriam celebrari, atque hanc ipsam celebrationem patrocinium appellari decrevit.

Pars secunda.

Quia vero non cuivis notum est, qua ratione hoc Festum celebrare, suæque adeo erga tantum Patronum obligatione vicissim satisfacere debeat, ideo hoc ipsum quoque breviter ostendo, atque sequentia præcipue officia præstantanda. 1º Recolecta beneficia per totum annum ab eo collata, gratiaque convenientes, qua verbis, qua operibus agenda; quod quidem utrumque aptissime præstabit, si templum studiose frequentetis, per varias preces cum magna attentione et fervore persolatas Deum et sanctum Patronum digne collaudetis, et ipsa denique SS. Eucharistiæ et Pontificiæ Sacramenta actualiter, aut, si hoc fieri ob graves causas non possit, spiritualiter saltem per ardens desiderium ea suscipiendi, religiose suscipiatis. Certe si unquam alias, hoc die maxime decens est, ut premissa confessione ad sacram mensam accedatis; nam aliorum quidem Sanctorum Festa ob communia vobis et aliis hominibus exhibita beneficia communi etiam titulo dumtaxat ad festivam celebrationem invitant; hoc autem Festum, sicut specialia, et vobis solis collata beneficia ac favores a S. Patrono Templi exhibitos in memoriam revocat, ita speciali quoque vos titulo obligat, ad Festum hoc præcipua devotione et obsequiis Deo et Sancto gratissimis (qualia haud dubie censei debent Confessionis et Eucharistiæ religiose suscepta Sacramenta) celebrandum. Hoc ergo die exclamare quisque vel maxime debet

cum S. Davide PSALM. CXV. *Quid retribuam Domino (et sancto Templi Patrono) pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris* (id est, SS. Sacramenti) *accipiam; et nomen Domini (et sancti Patroni) ardentem invocabo; vota mea (et proposita vitæ serio emendanda) Domino (et Patrono) reddam in conspectu omnis populi, in medio tui Jerusalem.* Verum non contentos vos esse oportet hoc obsequio, sed ulterius etiam et 2º veniam exorare oportet omnium negligentiarum in ejusdem cultu per annum admissarum, ideoque clamandum frequenter et ferventer cum servo Evangelico MARTI. XVIII. *Domine, patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.* Hodie vel maxime renovare oportet propositum ac decretum, quo sanctum hunc olim in Patronum elegimus, eundemque debito cultu et honore constanter venerari decrevimus. Hodie his aut similibus affectibus cum aliqui et interpellare decet. O sanctissime N. amice Dei fidelissime, gratulor tibi ex animo de omni honore ac gloria, qui tibi sive in terris, sive in caelis, aut obtigit haec, aut deinceps obtinet, optoque unice, ut quotidie magis augetur, idque ipse etiam pro viribus procurabo. Gratias subinde tibi, quam possum maximas ago pro omnibus beneficiis tam corporalibus, quam spiritualibus, quæ et mihi, et parochianis omnibus tum alias, tum hoc maxime anno quam plurima exhibuisti, optoque unice, ut non verbis dumtaxat, sed ipso etiam opere gratissimum exhibere me queam. Certe quod negligenter adeo haec unice id præstiterim, atque in tuo etiam cultu et veneratione tam tepidus et inconstans existerim, ex corde doleo, et erubescō, atque adeo per amorem Dei mei et tui, nec non per gloriam tuam, et, per quidquid possum, supplex rogo, ut et veniam tantarum negligentiarum ipse benigne concedas, et eandem ab ipso etiam misericordissimo Deo efficaciter impetrare digneris, una cum copiosa gratia, qua vel nunc hanc sociordiam studiose devotare, tuoque et Dei servitio cultuique totum me mancipare valeam; id sane uti unice desidero, ita per te quoque efficaciter obtinere confido, ideoque nunc denuo, licet undecumque patrocinio tuo indignus, fretus tamen pietate ac misericordia tua singulari, ac zelo, quem erga meam et aliorum parochianorum salutem tam præclare haec ostendisti, te omni possibili demissionis et fidaciæ affectu in singularem meum et omnium meorum domesticorum, imo et reliquorum parochiano-

rum Patronum, advocatum, et protectorem eligo, firmiterque statuo ac propono, me non solum ipsum deinceps nihil amplius contra tuum honorem acturum, sed neque permittiturum, ut a meis subditis quidquam agatur; omnia vero, quae ad honorem tuum vel haec tenus praestare consuevi, vel deinceps facere decrevi, singulari cum diligentia, fervoreque peracturum. Obsecro te igitur, suscipe nos in clientes tuos perpetuos, adesto nobis in omnibus actionibus nostris, et tuis precibus, ut feliciter eas perficiamus, juva: adesto quoque in periculis omnibus, et contra hostes nobis interitum molientes poterit nos defendere: adesto denique in hora mortis nostrae, et tuis inspirationibus, auxiliisque sic dirige, et conforta, ut in terribili illo et periculoso agone feliciter victoriam obtinentes, vitam nostram juxta exemplum tuum gloriose et optato exitu concludamus, atque in tuam et aliorum Sanctorum beatissimam Societatem adlecti, pro nostris simul et tuis beneficiis supremum nostrum benefactorem Deum perpetuo tecum collaudemus. Amen. Hoc sane modo, si veniam a sancto nostro Patrono peteretis, et totos vos denuo cum vestris domesticis, pecoriibus, et agris ejus patrocinio, cultuique commendaretis, haud dubie gratissimum ei obsequium hodie praestaretis, efficaciterque, ut ille vicissim novo fervore vos in clientes suos susciperet, et fortius, fidelisque, quam unquam alias ab omnibus malis protegeret, omniumque bonorum abundantiam a Deo impetraret; maxime si tertium obsequium, quod a vobis ulterius hodie requiritur, simili fidelitate diligentiaque praestetis, nempe ut reliquum quoque hujus Festi tempus, pomeridianum scilicet, cum Sanctitate, modestia, concordia, et spirituali laetitia transigatis; quod quidem tanto impensis vobis ipsis vestri Patroni nomine commendo, quanto pauciores, prohi dolor! reperiantur, qui hac in parte obligationi suae satisfecerint. Certe si experientia consulatur, deprehendetur, plerisque in ea vanissima persuasione esse, quod patrocinium eo precipue sine sit institutum, ut mundanae celebrantur, et parochiani cum vicinis et amicis suis inter computationes, saltationes, aliaque lusus, laetitiaeque argumenta hunc diem transigant; hinc fit, ut, qui mane Deum et Sanctum Templi Patronum, laudibus, precibus, aliisque piis obsequiis devote colebant ac venerabantur; a prandio ebrietate, rixis, blasphemis, detractionibus, deceptionibus,

foedis colloquiis, et luxuriis actionibus gravissime iterum offendant. Quod quidem quam indecens et absurdum, imo et nocivum sit, vel proprio vestro judicio divinare facile potestis; dicite namque, si bonum quempiam et fidem amicum, a quo plurima beneficia accepissetis, et plura adhuc speraretis, hodie in meridiano prandio liberaliter quidem, benevoleque tractaretis, sed finitis epulis, minaci vultu, verbisque injuriis ex domo vestra expelleretis, annon hoc facinus indignissimum, et nullo satis supplicio expiandum censeretis? Annon omni vos deinceps amore et favore tanti amici indignos arbitraremini? Et merito sane. Atqui idem facturos vos creditote, si quem mane precibus, a aliisque piis operibus colistis Patronum, a prandio gravibus peccatis, insolentisque iterum offendatis. Ne ergo vobis hoc accidat, Apostolicum praecipuum PHILIP. IV. datum studiose observate: *Gaudete in Domino semper, iterum dico vobis gaudete. Sed modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Sequimini exemplum Aaronis et Seniorum, de quibus EXOD. XVII. legitur: *Veneruntque Aaron et omnes seniores Israel, ut comederent panem cum eo (Petro videlicet) coram Deo.* Id quod jam olim etiam S. David Ps. LXVII. suavis dicens: *Iusti opulentur, et exultent in conspectu Dei, et delectentur in laetitia.* Hoc sane si egeritis, sperare non immerito poteritis, non modo vos Festum hoc et Patronum vestrum cultu gratissimo coluisse, sed optatum etiam ejusdem Patroni patrocinium pro voto obtenturos. Ecce enim jam ultro in altari paratum ad vestram protectionem se sistit: jam iterum ex altari ad vos illa S. Davidis Ps. XLIX. verba repetit: *Invoca me in die tribulationis, et eruam te.* Nec dicatis, saepe jam vos hoc fecisse, et tamen pecora vestra, agrosque gravia damna perperos fuisse. Non inquam, hoc dicatis, nam respondeo 1^o. non sufficere, ut invocetis, sed ut, corde mundo (nam peccatores Deus et Sancti non exaudiunt) id faciatis, et debite venerationis cultum constant r exhibeatis; ita enim jam olim suavis S. Joann. I. cap. III. dicens: *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos fiduciam habemus ad Deum (et sanctum Patronum Templi nostri) et quicquid petierimus, accipiemus ab eo.* Et haec sane potissima causa est, cur toties adhuc tam gravia damna patiamini, quia nec invocatis Patronum vestrum, nec colitis, ut debetis, hinc sicut custos pecorum vestrorum, si debitum ei salarium

negaretis, utique et ipse promissam vobis custodiam negaret, ita et vobis S. Patronus promissam vestri, et agrorum, pecorumque protectionem negat, cum et vos ipsi debiti cultus obsequium negetis. Quod si tamen quispiam etiam constanter et ferventem in hoc cultu fuisse advertat, et tamen optatum patrocinium non expertum se queratur, huic secundo respondeo, protectionem Sancti non in eo consistere, ut nullum vobis infortunium, aut casum adversum evenire permittat, ut multi falso sibi persuadent, sed in hoc magis, ut omnia proprie dicta mala quantum est in se, amoveat, sicut patris officium non in eo consistit, ut nunquam filium castiget, aut castigari permittat, sed ut peccata, quae sola maxime nocent, deduceat filium, impediaturque. Aliud ergo est apparens, aliud verum malum, tribulatio apparens malum est, sed verum malum non est, quia, si rite toleretur, summorum honorum causa existit; hinc S. Apostolus Jacobus c. I. dixit: *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis:* in vestra ergo potestate est bonum ex illis eiecerit, nam diligentibus Deum, teste Apostolo ad Rom. c. VIII. *Omnia cooperantur in bonum.* Solum igitur peccatum verum malum est, quod solum nullius boni causa per se esse potest, hoc solum privat nos omnis et summi boni possessione; tum ergo S. Patronus seduli Protectoris erga vos officium exerceat, si vel omnia a vobis infortunia areat, vel certe, si Deo decretum est, vobis aliqua pro vestra salute permittere, gratiam impetret, ut patienter feratis immissam tribulationem, fructumque adeo centuplum ex ea referatis, id quod sedulos S. Patroni nostri cultores quotidiana experientia experiri censeo.

Epilogus.

Agite ergo, dilecti Auditores, et vel hodie denuo patrocinium hoc eo fervore et alacritate peragite, ac si hodie primum hoc templum edificatum, et sanctus N. in Patronum vobis assignatus esset. Date ergo operam, ut supra explicata tria capita tanto ferventius erga ipsum observetis, quanto plura ex illorum observatione commoda jure merito potestis sperare. Sic ille quoque vicissim omnia Patroni erga vos officia sedulo implebit, et tam vos, quam domesticos vestros, pecora, et agros ita custodiet, ut vitam vestram felici-

ter et Christiane transigere, ac claudere, et cum eodem jucundum Festum in omnem aeternitatem celebrare possitis. Amen.

Alii conceptus.

I. Potest etiam non inutiliter Patronus Templi Salvaguardiae ut vocamus, comparari. Et 1^o quidem beneficii hujus magnitudo ostendi, tum ex dignitate et affectu illius, qui dedit talem Salvaguardiam; tum ex qualitatibus illius, qui datus est, quod nempe possit ob robur extraordinarium a Deo concessum: sciat ob miseria nostras, et modum juvandi et in et per Deum cognitas; et veli defendere eos, qui custodiae suae sunt commissi, utpote quos velut fratres et cohaereditos summe diligit. Tum ex fine, propter quem datur talis Salvaguardia, scilicet ut a sevisimo hoste corporis et animae interitum moliente, et bonis temporalibus atque aeternis privare satagente percam defendamur. In 2^o parte ostendatur, quo vicissim a Parochianis obsequia tali Salvaguardiae praestari debeant; videlicet 1^o ut cum magna benevolentia, gaudioque suscipiatur, in Patronum eligatur, promptusque ad obsequia animus ostendatur. 2^o Ut nihil committatur, quo graviter offendi queat. 3^o Ut victus quotidianus ei diligenter offeratur, id est, certae preces quotidie ad ejus honorem recitentur (mirum enim Sanctos demeretur modica, sed fervens et constans oratio, ut patet in milite flagitioso quotidie unicum salutationem Angelicam recitante, et quatuordecim annis a Daemonis sub servi forma eidem servientis et insidiantis machinationibus defendi) sed et ipsa opera nostra quotidiana post Dei, Christi, et B. V. gloriam ad ipsius honorem ordinentur. 4^o Ut subinde gratior ei recreatio, vel convivium instituantur, id est, Festus ipsi dies, vel alius confessione, comunione, meditatione de ipsius vita, recitatione Officii divini aut aliarum precum, generosaque sui victoria in quocumque genere celebretur. 5^o Ut periculo imminente cum magna fiducia invocetur, et in aliis quoque necessitatibus consilium, auxiliun- que illius frequenter expectetur. 6^o Ut agnoscantur beneficia ipsius grato animo, ipsaque etiam gratiae frequenter, imo quotidie persolvantur.

II. Potest ex occasione illorum Verborum II. MATTH. XV. *Hic est fratrum amator et populi Israel: hic est, qui multum orat*

pro populo, et univēsa sancta civitate: Patronus Templi Advocato in honorem totius Parochie constituto comparari. Et 4^o ostendi, quam præclarus et potens sit Advocatus; tum quia Dei, apud quem pro nobis intercedere debet, summus, summeque dilectus amicus est: tum quia merita sua præclara velut potentissima motiva et argumenta affert: tum quia clientes suos singulariter diligit, illorumque causas non aliter, ac si propria forent, in Curia cœlesti pertractat: tum quia modico paucorum obsequiorum solatio contentus est. 2^o Potest ostendi, quid Auditores erga talem Advocatum observare debeant, videlicet, ut magnam de ipso estimationem, et fiduciam habeant. Ut causas suas et necessitates ipsi fideliter explicant, et commendent: ut quocumque exitu sint contenti, et si non obtineant, quod petunt non desistant a fiducia erga ipsum concepta, sed credant, se melius quid impetrasse. Ut salarium debiti cultus diligenter ac fideliter suo tempore persolvant, gratiasque etiam ore tenuis crebro et ferventer agant.

III. Potest etiam ex occasione thematis: *Itē ad Joseph, et, quidquid ipse vobis dixerit, facite.* GEN. XII. Patronus Templi, Proregi summi Regis, id est, Dei comparari. Et 4^o ostendi, quomodo respectu totius Parochie perinde Prorex a Deo sit constitutus, sicut Joseph toti Ægypto prepositus est; et quod proinde eadem fidelitate ac providentia alimenta necessaria sit provisorius, qua Josephus Ægypto prospexit. 2^o Pariter ostendi potest, quod sicut olim Pharaō is, qui frumentum petebant, dixit: *Itē ad Joseph, etc. ita et Deus modo velit, ut in suis necessitatibus parochiani ad hunc suum patronum confugiant, et, quidquid ipse dixerit, faciant.* 3^o Ostendatur, quid ipso potissimum dicat, et præcipiat, nimirum id, quod olim Josephus Ægyptiis GEN. XLVII. dixit, *Quintam partem Regi dabit* (nempe gloriam et honorem, de quibus dixit: *Gloriam meam alteri non dabo*) quatuor reliquis permitto vobis in semetem, etc. Excitentur proinde, ut tam justæ et propitiæ Dei voluntati pareant, ad hunc Proregem cum magna fiducia confugiant, et quintam suorum laborum et fructuum partem, id est, gloriam Deo fideliter offerant, ut reliquias quatuor, id est, necessaria ad corporis et animæ sustentationem tanto liberalius accipere mereantur juxta illud Ecclesie in hymno Corporis Christi: *Sic nos tu vīsita, sicut te colimus.*

IV. Potest ex occasione illorum verborum Tob. v. *Perge, et inquire tibi aliquem fidelem cirum: qui eat tecum salvo mercede sua:* ductori comparari. Et 4^o ostendi; quod omnes hac in vita peregrini simus, et exules ad patriam nostram tendentes. 2^o Pariter ostendi potest, quam periculosum, et anceps sit hoc iter, quamque adeo merito bono et fido ductore opus habeamus. 3^o Probari potest, quomodo omnes boni ductoris qualitates Patronus Templi contineat, præcipue quod viam nobis ad patriam nostram non tam verbis, quam factis præeundo ostendat, id quod aliquot celebriorum facinororum narratione confirmari potest. 4^o Ostendi potest, quam mercedem petat pro sua hac charitate, eam scilicet, quam olim Raphael ab utroque Tobia c. xii. petiit dicens: *Benedicite Deum, et narrate mirabilia ejus.* Excitentur proinde Auditores, ut diligenter inspiciant vestigia hujus ductoris sui, eisque intrepide succedant, et petitam ab eo mercedem fideliter offerant.

V. Potest ex occasione sententiæ a Deo olim ad Moysen prolata Exod. xxv. *Aspice, et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est:* ostendi, quod Deus Patronum Templi parochianis velut exemplar vitæ recte instuendæ proposuerit. Unde breviter narrari potest vita illius, simulque ostendi, quomodo cum in præcipuis virtutibus et actionibus imitari debeant, quamque hæc imitatio ipsi quidem Patrono grata, parochianis vero honorifica, utilisque sit futura.

VI. Potest dici, esse quosdam Doctores ejus opinionis, quod quibusdam Sanctis ex speciali favore duo Angeli Custodes sint dati. Quidquid autem sit de veritate hujus sententiæ, adhuc tamen in alio sensu verissime affirmari posse, duos cuiusvis homini in certa parochia degenti custodes esse concessos, Angelum scilicet, et hominem, illum videlicet Sanctum, qui, uti Templi, ita et omnium parochianorum Patronus et custos est, unde sicut, teste S. Bernardo in Ps. Qui habitat, mira dignatio et vere magna dilectio charitatis est, quod Angelis suis mandaverit, ut custodiant homines in omnibus viis, ita similis quoque aestimatio beneficii illius, quo alterum nobis custodem, Patronum videlicet Templi attribuit, concipienda est. Deinde vero sicut SS. Angeli Custodibus idem S. Bernardus jubet tria officia seu obsequia exhiberi, reverentiam scilicet pro presentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro

custodia, ita hæc eadem etiam erga S. Patronum Templi observanda sunt, id quod copiosius partim ex cit. S. Bernardi sermone, partim ex natura singularum horum obsequiorum demonstrandum est.

CAPUT VI.

Quomodo conciones in primitiis Neomystarum institui debeant.

Thema.

Simile est Regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo, MATTH. XII.

Scopus.

Dignitas et officium Sacerdotis explicanda; Et quid a laicis ipsi debeatur, ostendendum.

Syllogismus principalis.

Dignitas summa requirit in possidente magnum virtutum apparatus, et in aliis magnam reverentiam; atqui Sacerdotis dignitas est summa, ergo etc.

EXORDIUM.

Dum hodiernam festivitatem considero, omnia videntur nuptiis simillima; nam sponsus est Christus, sponsa anima Sacerdotis, chorales Angeli, hospites SS. Trinitas et Cœlestes cum hominibus presentibus, convivium Eucharistia, saltus de laico in clericalem statum, de infima ad summam dignitatem, de cura propria ad alienam, ut merito dici possit de sponsa quod sponsus CANT. VII. dixit: *Quam pulchri sunt gressus tui in calcamentis filia principis.* Neque aliud superse videtur, quam ut more consueto varia dona Sponso offerantur; quod officium, quia mihi impositum est, ideo vestro nomine pretiosum et affabre factum calicem Neomystæ offeram, in quo et ipse, quod suum officium sit, clare dispicere; et vos, quid erga ipsum et alios Sacerdotes observare debeatis, non obscure cognoscere valeatis. Favete interea, et dum calicem hunc vobis inspiciendum offero, benevolas interea aures animumque commodate.

Pars prima.

I. Itaque calix hic est ex argento purissimo confectus, quo significare volo, munditiam et puritatem maximam in Sacerdote requiri, id, quod jam olim Plutarchus ostendit, dum quaerens, cur Sacerdotes idolorum candidis vestibus uterentur? Respondit, quia diis omnia munda conveniunt, si ergo tanta puritas in sacrificiis Ethnicorum requirebatur, quanto major in Sacerdote summi et veri Dei exigetur? Ita sane S. Chrysostomus l. III. de Sacerdotio testatus est dicens: «Necesse est Sacerdotem sic esse purum, ut si in ipsis oculis colloceatur inter cœlestes illas virtutes medius staret.» Quod ipsum etiam Angelus S. Francisci Seraphico confirmavit, dum eidem de Sacerdotio suscipiendo deliberanti vitrum purissimum ostendit, talem dicens, imo majorem puritatem requiri in Sacerdote, quam in vitro hoc conspiciatur. Quo audito S. Franciscus nunquam induci potuit ad Sacerdotii Ordinem suscipiendum.

II. Forinsecus deauratus est calix, ut summa Sacerdotis dignitas indicetur, quam quidem factio ipso pulchre olim S. Martinus insinuavit, dum ad Regis convivium invitatus primi haustus honorem sacellano suo exhibuit, ut significaret, dignitatem Sacerdotis etiam regia majestate potiorē esse; imo Hugo de S. Victore in c. i. GEN. comparans regiam et Sacerdotalem dignitatem cum sole et luna, ait; tot partibus regiam dignitatem a Sacerdotali superari, quot partibus sol magnitudine sua lunam vincit. Clarissime vero hanc dignitatem Cassiodorus in Glor. mundi his verbis expressit: «Sacerdos Dei altissimi, si altitudinem cœli contempleris; altior es: si pulchritudinem cœli, solius et lunæ, pulchrior es: si discretionem Angelorum, discretior es: si omnium Dominorum sublimitatem, sublimior es: solo Creatore tuo inferior es.» Ex quo merito ingens solatium haurire possunt parentes et cognati Sacerdotis; si enim magnam se laetitiae causam habere crederent, si filium suum aut cognatum ad regiam aliquam dignitatem evectum esse viderent, quanto majorem nunc letandam causam se habere credere debent, quando vident, eidem filio dignitatem regiam majorem obtigisse.

III. Variis gemmis et unionibus distinctus

est calix, quibus significatur Sacerdotem variis virtutibus et dotibus celestibus praeditum esse debere; ideo enim olim antiqui Sacerdotes pulcherrimas gemmas in pectore portare jubebantur; hinc etiam Thomas Kemp. l. IV. c. v. ait: « Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus, et aliis bonae vitae exemplum praebere, ut, quemadmodum alibi l. III. c. xix. dicit, sit talis interius, qualis videtur hominibus exterius. Ejus conversatio non cum popularibus et communibus hominum viis, sed cum Angelis in caelo, aut cum perfectis viris in terra. » Hinc et veteres olim Sacerdotes in manu clepsydrum, in sinistra solem dabant, ut ostenderent, non tantum verbo, sed etiam exemplo ipso alios dirigere, et jurare debere. Est quippe Sacerdos, praecipue si curam animarum gerat, virgis a Jacobo Patriarcha olim in canalibus, ex quibus oves aquam haurire solebant, positus similis, ut enim, quales colores virgae representabant, tales etiam in foetibus postea producebant; ita etiam, qualia exempla subditi in suis Pastoribus conspexerint, talia etiam ipsi in suis operibus velut foetibus suis efformabunt. 4^o Varia in hoc calice emblemata incisa sunt; tria scilicet in exteriori cuppa; tria in pede calicis; priora tria ostendunt Sacerdotis officium; posteriora indicant, quid Laici erga Sacerdotes observare debeant. Primum itaque eorum emblematum quae in cuppa visuntur, et ad ipsum Sacerdotem pertinent, representat Christum instituentem SS. Missae Sacrificium, cum hac inscriptione: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* LUC. XXII. quibus verbis indicatur, quanto cum desiderio et amoris affectu Sacerdos SS. hoc sacrificium offerre quam frequentissime potest, debeat, utpote quod ipse Christus tanto cum amore instituit, et ex quo tanti fructus non ipsi dumtaxat Sacerdoti, sed aliis etiam oriuntur; nam ut bene notavit Thom. Kemp. l. IV. c. v. « Quando Sacerdos celebrat, Deum honorat, Angelos laetificat, Ecclesiam edificat, vivos adjuvat, defunctis requiem praestat, et sese omnium bonorum participem facit; » imo ut ex ipsa Sacrificii infinita dignitate colligitur, gratus Deo officium praestat, quam si omnes virtutum actus, qui vel ab omnibus simul hominibus et Angelis elici possunt, unicus exerceret; ut nil dicam de laetitia et consolatione spirituali, quam ex Sacrificio tali sperare potest. Si enim plures Sancti gaudii bene diffuserunt, postquam a D.

Virgine in ulnas oblatum Christum infantulum acceperunt; quantum consolationem sperare, quantum laetitia repleti debet Sacerdos, cui non tantum semel, sed quotidie; non a D. Virgine, sed ab ipso Patre aeterno, Filius non jam mortalis, sed gloriosus in manus offertur. Secundum emblemata eundem Christum in navi concionantem representat, cum inscriptione: « Ascendens in unam navim, quae erat Simonis, rogavit eum, a terra reducere pusillum. » LUC. V. Ut intelligat Sacerdos, se; si fructuose subditis suis verbum Dei explicare velit, nimium cum ipsis familiaritatem fugere debere, ut quae juxta commune proverbium, nihil nisi contemptum pariat, atque adeo efficit etiam, teste S. Bernardo, ut, cujus vita despicitur, etiam praedicatione reproberetur. Id quod bene etiam pius Auctor l. I. c. VIII. monuit, dum dixit: « Charitas habenda est ad omnes, sed familiaritas non expedit. Quandoque accidit, ut persona ignota ex bona fama lucescat, cujus tamen praesentia oculos inveniunt offuscet. » Atque utinam hoc non quotidiana experientia compertum haberemus. Certe quod hodie tam modicus ex Sacerdotalibus officiis fructus reportetur, potissimum causam huic nimiae familiaritati adscribendam esse, non immerito quidam arbitrantur. Tertium emblemata Christum Pastorem, qui ovem super humeros portat, cum hac inscriptione representat: *Egros pastor bonus.* JOAN. XIII. Ex quo emblemata pulchre addiscere potest Sacerdos, quid erga oves curae suae commissas observare debeat. Hic enim discit. 1^o Quantopere diligere debeat oves suas, utpote pretiosae Christi sanguine redemptas, et pro quarum custodia tantam olim mercedem sperare potest. 2^o Quanta cum sollicitudine eas ad pasca ducere, id est, verbo divino, Sacramentorum usu, et bonis exemplis pascere debeat, ut de ipso etiam subditi cum S. Davide Ps. XXII. dicere possint: *Dominus (aut Sacerdos bonus) regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascae ibi me collocabit.* 3^o Quanta cura errantes oves quaerere, et ad ovile reducere debeat, inquirendo in peccata subditorum; et salutaria illis remedia praescribendo. 4^o Quanta vigilantia pro illis vigilare, luposque, id est, Demones, malos socios, et occasiones ab iis arcere debeat, ut impleat illud Christi: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* 5^o Denique quanta charitate infirmos oves complecti, et ad opem illis ferendam

accelerare debeat, ita ut infirmitates earum in se sentiat, dicatque cum S. Paulo II. COR. II. *Quis infirmatur et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* Qua quidem in re praclarum in Christo exemplar habent Sacerdotes, qui mox, ubi a Centurione morbus pueri sui indicatus ei fuit, respondit: *Veniam, et curabo eum.* MATTH. IV. O quam severam rationem olim reddent Sacerdotes, qui hac in parte negligentes deprehenduntur, et vel unicam animam sua culpa perire sinent, certe S. Malachias doluit summo perire, se vel semel neglexisse unctionem extremam alicui infirmo dare; neque quiescere potuit, donec per preces suas mortuum illum resuscitavit, et inunxit; quando magis dolendum erit, si quid infantem sine baptismo aut peccatorem sine poenitentiae Sacramento mori sinat; si S. Paulus. I. TIM. V. de carnalibus patribus ac Dominis dixit: « Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infidelis deterior; » quid sentiendum erit de Sacerdotibus, qui suarum ovium, ad quarum salutem procurandam tot titulis obligati sunt, curam non gesserint? Profecto non frustra dixit Deus per Prophetam ad ejusmodi pastores: *Ite Angeli veloces ad gentem convulsam, et dilacerata.* JER. XVIII. significare enim voluit, nunquam magis velocitatem necessariam esse, quam quando pastores velut Angeli ad oves prope dilaceratas mittuntur, curandumque pastori, ut in similibus casibus adeo promptum se exhibeat, ut parochiani suo modo illud sponse CANT. VII. de ipso dicere possint: « Similis est dilectus (Pastor) meus caprea hinnuloque cervorum. Ecce isto venit saliens in montibus, et transiliens colles. »

Pars secunda.

Altera pars calicis nostri, ut dixi, pedem, et tria in ipso emblemata ad laicos pertinentia incisa habet. Quorum primum representat oves, Pastorem suum sequentes, cum hac inscriptione. *Cognoscunt me oves,* scilicet oves, JOAN. X. Quibus verbis significatur, quod sicut parochiani petunt, ut pastor officio suo erga illos bene fungatur, ita ipsos quoque similem diligentiam adhibere debere, ut ovium proprietates assument, et ante omnia pastorem suum agnoscant, reverentur, et ex corde diligant; si enim ipse, si

pastor verus esse cupiat, animam pro ipsis ponere debet; major autem, ut Christus JOAN. XV. testatus est, dilectio non est, quam si quis animam suam pro altero ponat; facile apparet, requisitum esse, ut, sicut ipsi a Pastore diliguntur, ita vicissim ipsum singulariter diligere studeant, cum juxta commune proverbium, amor non nisi amore recipitur. Porro amor hic non in puris verbis, ut S. Joannes I. JOAN. III. monet, sed in opere et veritate, consistere debet, ut scilicet, sicut oves etiam lac et agniculos suos, id est liberos bene instructos, et lanam operum suorum honorum Pastori suo offerant. Haec enim sunt pastori gratissima munera, gratioraque omnibus aliis, quae de temporibus offerre possunt, ut qui cum Melchisedech Sacerdote dicit: *Da mihi animas, cetera tolle tibi.* GEN. XIV. Secundum emblemata Constantinum magnum representat, qui falciculum litterarum querelas contra Episcopos in consilio congregatos propositas continentem combussit, cum hac inscriptione: *Nolite tangere Christos meos.* Ps. CIV. Hoc emblemata significare volo, quod magna cum patientia, et charitate defectus pastorum suorum parochiani supportare debeant; si enim S. Apostolus cuius Christiano ad Galat. c. VI. dixit: *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi;* quanto magis hoc monitum erga Sacerdotes observandum est, ut qui tot tantaque nostra peccata cum tanta charitate et patientia in concessione audire, et septemplex sigillo, ne reluctentur, ocludere debent; obligatur enim sacerdos ad peccata talia reticenda. 1^o Lege naturali, quae arcana commissa sub secreto manifestari vetat. 2^o Lege divina, quae severissime Christus prohibuit, ne talia peccata vulgentur. 3^o Lege Ecclesiastica, quae gravissimas decernit penas iis, qui tale secretum violant. 4^o Lege justitiae, quae velut alterius famam per revelationem occultorum peccatorum imminuit et violat. 5^o Lege religionis, quae jubet, ut sacramentum poenitentiae semper in debito vigore conservetur, atque adeo sigillum confessionis illibatam permaneat. 6^o Lege charitatis, quae omnem offensam proximi, qualis vel maxime foret revelatio peccatorum, studiosissime cavere jubet. 7^o Lege fidelitatis, quae exigit, ut quod promissimus, fideliter servemus. An ergo durum videri poterit, ut nos unico saltem sigillo charitatis peccata Sacerdotis ocludamus? Annon merite hic illam pii Ascete doctrinam

nobis applicemus I. I. c. xvi. *Stude patiens esse in tolerando aliorum defectus, quia et tu multa habes, que oportet ab aliis tolerari.* Notent hoc, qui, passim Sacerdotes contemnere, et irreverenter de iis loqui non verentur. Notent hoc, inquam, et vel ab ipso Christo dicant, Sacerdotalem statum revereri. Is certe, dum Sacerdotibus suum errorem ostendere voluit, non publice illorum peccata narravit, sed digito in terra scribebat, ut nemo, nisi is, ad quem pertinebant, legere posset; sed et apud Caipham, cum Malchus colaphum ei infixisset, et dixisset: *Sic respondes Pontifici?* Noluit ad hoc crimen obiectum perinde, ut ad alia omnino tacere, sed breviter illud refutavit, ne Sacerdotem inhonorasse videretur. Certe verendum non immerito est, ne aliquando tales a Deo illa Davidis verba audire cogantur I. I. REG. c. I. *Quare non timuisti mittere manum tuam, ut interficeres Christum Domini? Quis enim extendit manum suam in Christum Domini, et innocens erit?* Ne ergo id audire cogamur, dicamus modo cum eodem Davide I. I. REG. c. xxiv. *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam rem hanc Domino meo Christi Domini, ut mittam manum meam (vel linguam) quia Christus Domini est.* Audiamus potius, et sequamur consilium Ecclesiastici c. xix. suadentis: *Audisti verbum adversus proximum tuum? Commoriatur in te, filens, quoniam non te dirumpet.* Tertium emblemata Melchisedech Sacerdotem decimas ab Abrahamo accipientem representat cum hac inscriptione: *Et dedit ei decimas ex omnibus.* GEN. xix. Quo emblemate significare volo, quod, sicut laici spiritualia accipiunt beneficia a Sacerdotibus; ita corporalia alimenta negare illis non debeant, sed liberaliter offerre, nam ut S. Paulus I. Cor. ix. recte advertit. « Quis plantat vineam, et de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? Numquid in lege scriptum est, non alligabis os bovi trituranti? Si ergo nos spiritualia seminamus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? » Notent hoc, qui oblationes, stipendium, aut decimas passim subtrahere sacerdotibus, et sæpe, velut si obsequium Deo prestitissent, jactare solent. Notent hoc, inquam, et timeant ne olim de illis verificetur gravis illa S. Jacobi comminatio c. v. *Ecce merces operariorum vestrorum, qui messerunt regionem vestram, que fraudata est a vobis; clamat, et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.*

Potius itaque, dilecti, vos consilium S. Tobie cap. iv. momentis audite: *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem tribue, et merces operarii apud te non remaneat.*

Epilogus.

Spectatis ergo, ut spero, sufficienter calicem reverendo D. Neomystæ preparatum; nihil ergo superest, quam ut excedamus, et imprimis novam dignitatem ex animo ei gratulemur; deinde vero calicem eidem reverenter offeramus, atque ut nos quidem, que calix iste nos docuit, præstare valeamus, ipsius nos SS. Sacrificiis precibusque commendemus; quia vero ipse non minus precibus indiget, etiam nos pro illo Deum ex animo oremus, dicamusque cum Davide PSAL. lxxi. *Deus judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis.* Sed et precetur cum Isaac ei benedictionem et dicamus: *Det tibi Deus de rare cæli (gratiam copiosam) et de pinguedine terre (id est animas) et abundantia frumenti (verbi divini) vini (variorum solatorum) et olei (charitatis) et misericordie) ut hæc omnia in tuorum utilitatem consumas, et sic meritorum abundantiam in hac vita, in altera vero abundantiam gaudiorum percipias. Amen.*

Alii conceptus.

Posset muneris loco Neomystæ offerri *navis argentea deaurata*, in qua pro malo crucifixus, pro velo cor candidissimum sit suspensum. 1º Per navim significari posset officium Sacerdotis curam animarum suscepturi quod est, Navarchi munus obire, in hominibus per hoc procellosum mare deducendis, ideo merito a S. Gregor. *Ars artium vocatur.* 2º Ut inde colligat, quanta scientia sit necessaria *caelestium astrorum*, præcipue stelle maris; *via*, id est, perfectionis christianæ; *ventorum* seu spirituum ex omni parte stantium. 3º Ut dicat magnam curam adhibere, in periculis declinandis, quorum tria sunt præcipua, scilicet *Sirenes*, seu mulieres: *Pirate*, seu avaritia; et *Syrtes*, seu nimia sollicitudo rerum secularium. 4º Ut sciat in quo consistat officium suum nempe in iis capitibus, que Ecclesia in completorio indicat: dicens: *Fratres, sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester, tanquam leo*

rugiens, circumit, querens quem devoret, cui resistite fortes in fide. Itaque in vigilantia, sobrietate et fortitudine consistit dictum officium; qua omnia facile Navarcho applicari possunt. In fine dici potest Sacerdotem imitari morem sponsorum, qui pocula sibi oblata jubent vino impleri, et sic reddunt offerentibus ebibenda; quod sacerdos tanto facit liberalius; quanto præstantius est rubrum vinum SS. Sanguinis Christi, quod offert; ad ejus proinde sumptionem hortari convenit Auditores, et tum demum concludere concionem solida gratulatione, oblatione poculi, et appreciatione, etc.

II. Posset muneris loco offerri *funiculus triplex aureus*, ab eoque agnus aureus dependens. 1º Per agnum intelligi posset anima ejusque excellentia explicari, et inde officium Sacerdotis curam ejusdem habentis seu Pastoris commendari. Per funiculum triplicem posset intelligi triplex motivum, quod impellere maxime debet Sacerdotem pastorem, ut officio suo bene fungatur, scilicet charitas erga Deum, proximum, et se ipsum, quem in finem Christum forte JOAN. c. xii. tertia vice Petrum quesivit: *Amas me?*

III. Posset similis muneris loco *rete piscatorum* offerri, ut indicetur, ejus officium esse, ut sit piscator hominum. Quemadmodum Christus MATTH. iv. dixit. Hinc duo de isto reti dici possent. 1º *Substantia*; et per hoc officium spiritualis piscataris explicari, dicendo, quod per *fila* intelligantur actiones Sacerdotales, que non debent esse ruptæ, id est, negligentiter et obiter factæ, sed diligenter suo tempore *refici* per confessiones, examina, recollectiones, etc. Per *plumbum* reti appensum humilitas et diffidentia in propriis viribus juxta monitum Christi JOAN. xv. *Sine me nihil potestis facere*; per *Suber* in alto suspendens rete, fiducia in gratia vocationis, juxta illud S. Pauli I. Cor. xv. *Abundantius illis omnibus laboravi, non autem ego, sed gratia Dei mecum.* 2º Ad usum quod attinet, posset dicium in tribus consistere, scilicet, ut ad imperium Christi per legitimam vocationem mittatur *Ad dextrum latus* dicendo: *In verbo tuo lacebo rete.* LUC. v. Ut dicatur: *Ezi a me*, seu nihil ascribatur sibi de captura; *ut annuatur sociis* ad auxilium ferendum.

IV. Posset offerri *crucifiscus aureus*: 1º Ut ostendatur officium Sacerdotis, quod est esse Redemptorem, et Sacerdotem summi Dei; quem in finem ei duplex potestas absol-

vendi a peccatis, et corpus Christi consecrandi, data est. 2º Ut indicetur motivum, quod sibi præfigere debet in hoc officio, scilicet charitas, que per aurum denotatur. 3º Ut etiam media significetur, quibus ad hunc finem consequendum uti debet, scilicet, ut se cum Christo *humiliet, factus obediens, sine ad mortem* per mortificationem, seu abstinenciam et sustinentiam, que sunt due partes crucis.

V. Posset offerri *Breviarium deauratum cum clausuris argenteis et nigro corio abductum.* 1º Ut indicetur Sacerdoti studium orationis summe necessarium, tanquam mediatori inter Deum et homines constituto; et quia ipse etiam indiget multis auxiliis ad suum officium recte administrandum, que sine oratione non obtinentur. 2º Ut innuatur ipsi, quomodo oratio debeat esse constituta, videlicet *humilis*. Quam virtutem corium nigrum indicat, *ex charitate procedens* (quam aurum denotat) et *puritate conscientie et fidei armata*, quas lineæ clausuræ denotant.

VI. Posset *Corona aurea* offerri ad significandam regiam dignitatem, omnia dignitate majorem uti S. Chrysostomus et alii SS. Patres docent, et S. Martinus facto ipso confirmavit, quem peculum prius scellatum, quam Regi obtulit; et colligitur ex potestate majori, titulo præstantiori (propter quem regnum hoc ei datum est; scilicet propter scientiam et virtutem) et felicitate majori, quia in sacerdote vivente, ut decet, verificatur illud poetæ: « Rex est, qui metui nihil, Rex est, quique cupit nihil. Hoc regnum sibi quisque dat. » Sumenda hinc occasio gratulandi Neomystæ, parentibus, et consanguineis, et ipsis parochianis, quod ille talem dignitatem, isti talem regem sint nacti.

VII. Posset offerri *Casula ex rubro holoserico ante et a tergo crucifisci Christi imaginem assulam habens.* 1º Ut meminerit officii sui, quod Thom. Kemp. I. IV. c. v. his verbis indicavit: « Sacerdos sacris vestibus indutus, Christi vices gerit, ut Deum pro se et pro omni populo suppliciter et humiliter oret. » 2º Ut dicat æstimare idem officium ex fructibus, quos propter Sacrificium producit: nam ut idem Auctor I. c. ait: « Quando Sacerdos celebrat, Deum honorat, Angelos lætificat, Ecclesiam ædificat, vivos adjuvat, defunctis requiem præstat, et se omnium honorum participem facit. »

3^o Ut pariter discat, quomodo personam Christi sustinere debeat, quod iterum pius auctor indicat, dum ait: « Habet ante se, et retro Dominica crucis signum ad memorandam jugiter Christi passionem. Ante se crucem in casula portat, ut Christi vestigia diligenter inspicat, et sequi ferventer studeat. Post se cruce signatus est, ut adversa quaelibet ab aliis illata clementer pro Deo toleret. Ante se crucem gerit, ut propria peccata lugeat: post se, ut aliorum etiam commissa per compassionem defleat, et se medium inter Deum et peccatorem constitutum esse sciat. Nec ab oratione aut oblatione Sancta torpescat, donec gratiam et misericordiam impetrare mereatur. »

VIII. Posset *Alba, humerale, et cingulum ex purissimo et tenerimo filo offerri*, ut significetur per cingulum quidem puritas corporis seu castitas juxta illud Christi monitum Luc. xvii. *Sint lumbi vestri praevincti*. Per humerale puritas intentionis juxta illud I. Cor. x. *Sive ergo manducatis sive bibitis (Sacratissimum Christi sanguinem), sive aliud (ad Sacerdotale officium pertinens) facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Per albam vero triplex vestis. 1^o Puritas animi, uti precatur ipse, dum induit albam dicens: *Dealba me Domine, et munda cor meum*. 2^o Vestis Christi ab Herode oblata, ut discat judicia, contemptus, et respectus humanos contemnere, dicatque cum S. Paulo *Si hominibus placere, Christi servus non essem*. GAL. I. 3^o Vestis gloriae, cum qua Christus in monte Thabor apparuit, et etiam Sacerdos olim apparebit, si prius priores vestes duas portaverit. Meminisse etiam debet Sacerdos, quod, sicut eandem albæ procuratur frequenti ablu-tione et percussione, ita et puritas animi frequenti contritione, et concessione, pectorisque et corporis percussione et castigatione obveniat.

IX. Posset offerri *Virga Aaron* N. xvii. per quam de nocte germinantem, floresque et fructus producentem Aaron in Sacerdotem electus est. Unde concio dividi posset in tres partes. In 4^a ostenderetur magnitudo potestatis per virgam designari solite, uti PSAL. xlv. indicatur, dum dicitur: *Virga directionis, virga regni tui* quae propterea potest fusiis explicari. In 2^a conditiones et officium Sacerdotis, ut scilicet producat *flores* ferventium desideriorum: *folia* Sanctorum et utilium verborum: et *fructus* clarissimorum operum in omni genere virtutum. 3^o In tertia parte

diei posset, quod, sicut Aaron virga, reponi debet in arca intus aurea per charitatem, et foris nigra per pelles mortificationis et asperitatis corporis, et sic ad solos usus divinos deputari.

X. Posset *imago Melchisedech* panem et vinum offerentis eleganter depicta offerri cum hac inscriptione: *Tu es Sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech*, Ps. cix. Ut primo ostendatur dignitas Sacerdotis, utpote, qui praestantior Rex est, quam Melchisedech propter majorem potestatem, et diutius durantem. 2^o Ut significetur officium Sacerdotis, quod est panem et vinum offerre; ex quo iterum oritur nova excellentia, et tanto quidem major, quanto panis et vinum, quae noster Sacerdos offert, praestantiora sunt iis, quae Melchisedech obtulit. 3^o Ut indicetur praemium, quod quaerere debet Sacerdos, scilicet, ut cum Melchisedech dicat: *Da mihi animas, caetera tolle tibi*; intellige de iis, quae ad honestam sustentationem non sunt necessaria.

XI. Posset *vestis clericalis seu toga nigra* offerri, ad tres praecipue qualitates Sacerdotis significandas. Nam 1^o Vestis nigra fertur plerumque ab honoratioribus viris, unde et in Sacerdote dignitatem singularem significat. 2^o Fertur ab humilibus personis, ut viduis et aliis similibus, unde et in Sacerdote humilitatem indicat juxta illud Eccl. iii. *Quanto major es, humilia te in omnibus*. 3^o Fertur etiam a lugentibus praecipue ad mortem alicujus significandam, et sic in Sacerdote significat, eum mundo crucifixum esse, dicereque cum S. Paulo posse. GAL. ii. *Vico autem jam non ego, vivit vero in me Christus*.

CAPUT VII.

Quomodo conciones apud rusticos haberi debeant.

Monita quaedam generalia ad ejusmodi conciones pertinentia.

Etsi primo aspectu facile videatur apud rusticos concionari, recte tamen prudentiores censent, difficilium esse his et aliis ejusmodi hominibus simplicibus, quam doctissimis quibusque utiliter praedicare; nam materiae et altiores concionandi modos, sicut passim in libris et pulpitis habentur et audiuntur, haud adeo est difficile invenire et imitari; at

ad ingenium simplicium se demittere, et tam materiam, quam elocutionem eorumdem ingenio cum fructu accommodare; hoc enim vero opus, hic labor est, a multis quidem susceptus, a paucis vero ad eum, quem sperare debuerant, exitum perductus. Quare ut haec in parte Concionator munus suum recte obeat, proderit sequentes regulas observare.

I. Meminerit rusticos et alias hujusmodi personas fere suum gradum, et terminum habere in Christiana perfectione, ultra quem sine speciali gratia Dei non facile promoveri alius queant. Consistit autem hic terminus in eo fere, ut praecipua Dei et superiorum rudi quodam simplici modo, id est, sine multis reflexionibus ad particularia et supernaturalia motiva observent, et adversitates a Deo aut hominibus advenientes patienter tolerent; unde et Concionator prudenter in hoc quiescere, neque multum se fatigare delet, ut ulterius eos perducatur, nisi extraordinaria quaedam indicia majoris aptitudinis in aliquibus reperiret.

II. Det operam, ut materiam, concionis non tantum in se, sed etiam respectu Auditorum valde practicae, id est, in quotidianos usus venientes eligat; alioqui enim non nisi cum tedio et absque fructu, utpote a non intelligentibus, quae dicuntur, audietur.

III. Cum ex una parte cuiusvis Christiano nihil magis necessarium sit, quam ut conditiones ad meritum supernaturalae requisitas sciat, et studiose observet, ne tam pretiosa caelestes divitias congregandi occasio elabatur; ex altera vero parte nullibi prope major, quam apud rusticos ejusmodi conditionum ignorantia, atque neglectus reperitur, ideo potissimum suarum concionum fructum in hac tanti momenti doctrina inculcanda consistere patet, atque adeo frequenter de servando vel recuperando statu gratiae, atque intentione bona quotidianis laboribus praesigenda concionetur.

IV. Studeat similiter, ut doctrinas ipsis propositas non modo clare et copiose, atque ad captum apposite explicet; sed quia etiam tardo plerumque intellectu et tenui memoria sunt praediti, frequentius repetat, et inculcet: neque curet, si propterea aliqui obmurmurent, sed potius illud S. Pauli dictum ad Philipp. ii. proponat: *De caetero, fratres mei, gaudeat in Domino, eadem vobis scribere (et dicere) mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium*.

V. In ipso quoque proponendi modo sum-

mam facilitatem ad captum procuret, eumque in finem apta quadam divisione in puncta utatur. Quae quidem regula adeo necessaria est, ut non immerito credi possit, ex ejus observatione neglecta potissimum provenire, quod tam multae parochorum conciones sine gustu et fructu audiantur.

VI. Argumenta, quibus ad persuadendam aliquam doctrinam utetur, fere ex utilitate petenda sunt; haec enim sola propemodum ejusmodi homines moveri, quotidiana docet experientia. Unde altioribus motivis ex honestate et purissimo Dei bene placendi studio petitis nonnisi raro, et magna cum consideratione utendum est.

VII. Exempla probata, ubicumque potest, apte immisceat; haec enim fructum vel damnum, quem ex observatione propositae doctrinae ipsos reportaturos dicebat, non modo proponunt, sed actu ipso reportatum ostendunt, atque adeo multo efficacius movent ad spem, de simili fructu obtinendo concipiendam. Eundem in finem etiam parabolas et apte similitudines crebro sunt adhibendae, ut quibus ipse Servator tamquam efficacissimis argumentis in omnibus fere concionibus suis est usus.

VIII. Etsi ejusmodi homines durioris plerumque sint ingenii, fere tamen magis expedire videtur, ut in spiritu lenitatis potius et amoris, quam timoris ex gravissimo poenarum infernalium sensu (quamquam et hoc motivum suo loco et tempore moderate adhibere conveniat) exortiri procedatur; certe experientia compertum est, asperitate nimia Concionatoris exasperari potius tales personas, quam emendari, animumque ad subsequentes doctrinas penitus obdurari. Si ergo vehementiori remedio opus videatur, prius per ignorantiam, aut minus deliberatam voluntatem excuset, aut etiam per laudem aliquam (ad imitationem Dei Aroc. ii. ubi dicit: *Scio opera tua, et laborem tuum, et patientiam tuam. Sed habeo adversum te paucos*), praemissam leniat animos atque disponat, quam altiorum illam censuram adhibeat.

IX. Specialiter autem conetur singularem erga illos amoris paterni, ac pastoralis affectum, zelumque ardentem salutis illorum promovendae demonstrare; vix enim credi potest, quam dispositi reddantur animi per ejusmodi affectum, ad quamvis doctrinam et medicinam arripendam. Hinc sapienter monuit S. Augustinus tr. vii. in Erist. i. S. Joan. « Breve tibi praecipuum proponitur:

Dilige, et dic quod vis. Radix sit intus dilectionis, non potest de hac radice nisi bonum existere. »

X. Cum ejusmodi persona plerumque non magnum adeo appetitum afferant ad verbum divinum audiendum, nihil magis cavendum est, quam ne per prolongatas nimium conciones fastidium illis creetur; hinc enim certa efficeretur, ut varios quærent titulos, causasque concionem negligendi, aut certe ad somnum sub ea capiendum se disponerent; habeat ergo Concionator semper ob oculos sapientissimum S. Thomæ discursum in illud D. Pauli: *Perpaucis scripsi vobis, sic enim ait: Sermones breves valde accepti sunt; quia si sunt boni, acutius audiuntur: Si vero mali, parum gravant.*

XI. Summo studio caveat, ne ullum unquam verbum proferat, quo ruditatem illorum ipsis exprobare, aut aliquem eorum contemptum indicare videatur; nec enim explicari satis potest, quam graviter exulcerent animos ejusmodi dicta minus sincero animo prolata: nimirum, ut ipse pro ovibus eos non agnosceret videbitur, ita nec ipsi illum velut Pastorem revereri, atque amare dignabuntur.

XII. Etsi sæpe illos ad obedientiam superioribus exhibendam exhortari conveniat. Cavere tamen sedulo oportet, ne, si forte inter illos et magistratum dissensio sit exorta, publice propterea illos graviter exagitet; quia talis exagitatio potius irritat animos, et aversionem parit a Parocho, ut qui, cum pacificator esse deberet, iudicis officium assumere, et in cathedra velut tribunali publice eos damnare velle videbitur. Potius ergo, si causam hujus dissensionis ex parte subditorum stare adverterit, auctores dissensionis inquirat, et privatim ad se vocatos aptis rationibus et verbis disponere studeat, ut errorem agnoscant et magistratui eam, quæ ipsi debetur, reverentiam, atque obedientiam exhibeant. Multo minus vero magistratum, si forte errare videbitur, coram rusticis publice reprehendere sumat, quia sic gravi periculo subditos exponeret, ad rebellionem contra superiores suscipiendam, ad quam quidem perissimos esse rusticorum animos multiplex experientia compertum est.

Exemplar primum.

Quomodo utilis et grata materia rusticis in concione proponi possit.

Thema.

Quis putas major est in regno cælorum. MATTH. XVIII.

Scopus.

Probandum. Quod status rusticorum omnium felicissimus, atque adeo illi sorte sua contenti esse debeant.

Syllogismus principalis.

Ille status est omnium felicissimus, in quo homo vivit jucundius, moritur confidentius, et post mortem præmiatur copiosius, atque talis est status rusticorum; ergo hic status merito felicissimus est censendus.

EXORDIUM.

Non dubito, quin aliquot ex meis Auditoribus audito meo themate, apud se cogitaverint: Hæc questio nil ad nos pertinet; neque enim si de majoritate, aut beatitudine agitur, nos in certamen venire possumus, utpote de quibus constat, quod infimum in dignitate et felicitate gradum obtineamus, et ad miseras et labores nati simus. Hinc passim contemnuntur, contumeliis afflicimur, et duris exactationibus pene opprimimur, meritoque cum S. Paulo I. ad Cor. iv. dicere possumus: *Usque in hanc horam esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cedimur, et instabiles sumus, laboramus operantes manibus nostris, maledicimur, et benedicimus; blasphemamur, et obsecramus; persecutionem patimur, et sustinemus; et tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium peripsema.* Ita quidem loquuntur aliqui, qui conditionem et felicitatem status sui ignorantes eundem ex iis potius, quæ sentiunt aperte, quam quæ occulte percipiunt, metuntur, aliter de rusticorum statu poeta sensit, dum dixit: « Felices nimium, bona si sua nossent agricolæ. » Idem et ego profecto

judico, judicabuntque mecum, quotquot eundem vestrum statum penitus inspexerint, et commoda multiplicia, quæ in eo latent, paulo accuratius perpenderit. Quare, ut et vos felicitatem hanc vestram agnoscat, et statu vestro contenti debitas pro vestra vocatione gratias agatis, ostendam in presenti concione nullum omnino statum vestro feliciter esse, si in eo, prout oportet, vivere velit. Spero itaque, tanto attentius vos dicentem audituros, quanto magis ea, quæ dicentur, ad solatium vestrum pertinere videntur.

Propositio.

Equidem, si breviter descriptionem felicissimi status afferre velim, videor nihil cum commode sic posse describere. Est talis status, in quo homo vivit jucundius, moritur confidentius, et post mortem præmiatur copiosius; neque enim video, quid ultra hæc tria ad felicitatem requiri queat; atque reperiri ea, simulque possidere, vix ulli homini, aut certe non nisi paucis, iisque nobilissimis, doctissimis, et potentissimis concessum videtur. Ast ego aliter longe sentio, et descripta tria capita, non nobilissimis et potentissimis Regibus, et Principibus, sed pauperibus et viliissimis rusticis, si Christiane et juxta statum suum vivant, convenire contendo.

Pars prima.

Et primo quidem eos *jucundius*, quam alios quoscumque vivere aio, ut jam olim sensisse sapientissimus Salomon videtur, dum Prov. xxx. eorum potissimum conditionem et statum sibi exoptavit, dicens: *Mendicitatem et divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria, ne forte satiatus (ut dicites et potentes) dicam: Quis est Dominus? aut egestatis compulsus (ut mendic) furer et perjurum nomen Dei mei.* Quis enim hæc duo mendicitatem et divitiarum abundantiam perinde ut rusticis a se remota habet? Sed ut clarius hoc ipsum vobis demonstrarem, examinemus paulo accuratius, quæ voluptates in statu vestro reperiantur. Duplicis generis voluptates (honestas puta) reperire est, corporis et animi; quoad corpus potissime reputantur, si quis sanus sit, si cibus et potus sapiat (neque enim voluptas gustus ex pretio aut præstantia cibi potius, quam sapore percipitur) si quieto et securo dormire

queat. Quoad animam vero ille jucundissime vivit, qui bonam conscientiam, et inde natam tranquillitatem et securitatem habet; nam ut jam olim Salomon Prov. xv. dixit: *Secura mens quasi jube concivium, et ut pius Aseta l. II. de imit. c. iv. pronuntiavit: « Si gaudium est in mundo, hoc utique possidet puri cordis homo, et si est alicubi tribulatio et angustia, hoc melius novit mala conscientia. »* Id quod pulchre Dionysius Rex Siciliae Damocli famulo suo probavit; cum enim Damocles assiduo felicitatem sui Regis deprecicaret, jussit Rex convivium regium apparari, et Damoclem in sella regia mense assidere, et gladium a tenui equinae caudæ filo super caput ejus suspendi. A cujus conspectu, cum exanimatus propemodum Damocles cibos tangere nollet, subiecit Dionysius, idem sibi inter delicias suas evenire, utpote ad quas suspensus perpetui periculi gladius omnem appetitum tollerit; ut adeo merito Horatius cantarit: « Ille murus athenicus esto, nil conscire sibi, nulla pallescere culpa. » Jam vero geminam habere voluptatem quis magis, quam pie viventes rustici participant? Quis enim sanitatis beneficio magis, quam rustici fruatur? Quis cibos suavius capit? Quis securius et quietius dormit? Ite, ingredimini civitatem, et inquilinorum corporalem constitutionem examine; et modo unum podagra laborantem; modo alium calculo vexatum, aut febrî calida propemodum exustum, aut hydrope inflatum, aut alio morbo gravi afflictum invenietis. Quia, ut bene Salomon Eccl. xxxvii. advertit: *In multis esis erit infirmitas, et aviditas appropinquabit usque ad choleram.* Accedite subinde ad ipsas Regum aut Principum mensas, et easdem quidem fereulis plurimis et pretiosis repletas invenietis, sed ad quas vix post varia, longaque intervalla manus extendunt, modicumque carpunt, eo quod anima eorum satiata etiam favam calcet. Prov. xxvii. Accedite denique ad ipsos lectos eorum, et molli quidem in culcitra prostratos, sed a latere in latius volutatos, et somnum nequiquam advocantes, cernitis, eo quod *saturitas divitis*, ut Salomon ait Eccl. c. v. *non sinit cum dormire.* Recedite dein ab istis, et ad rusticorum pagos easdem vos conferre, et qui vel podagra vel calculo, vel hydrope, alioque simili extraordinario morbo laboret, vix unum reperietis. In ipsa vero mensa tam avide, licet vilissimos dumtaxat cibos comedentes, conspicie-